

43

AB
155233



Die an Ka 209 $\frac{1}{2}$

IO. BAPTISTAE

Rasarij,

DE VICTORIA CHRIS-
tianorum ad Echinadas, Oratio,

ITEM,

Ioan. Sturmij eadem de

RE: AD PHILIPPVM HANOICVM,

& Ludoicum VVitgensteinium Comites:

duæ Epistolæ.



ARGENTORATI,
Impensis Iosixæ Rihelij.
M. D. LXXII.

IO. BAPTISTAE

RATIA

DE VICTORIA CHRIS

tionum ad Echinadas Oratione.

ITEM

IOAN. STURMIJ eadem de

RE. AD PHILIPPVM HANOVICVM.

Epistolam Vniuersitatis Comites

die Epistole.



ARGENTORATI

Impensis Iohannis Ribbeckij

M. D. LXXII

AD PHILIPPVM

COMITEM HANOICVM,

Iuniorem.



AD Ludoicum VVitgensteinium Comitem misi Rasarij orationē: de clade Turcica. addidi etiam Epistolam, & meam sententiam: de hoc hoste persequendo. Vtrunq; mitto ad aequitatem & authoritatem iudicij tui: quod cuiusmodi futurū esset: in adolescentulo animaduerti: quale iam sit ex multorum sermonibus audio. Leges quas nomino: non pono. scio uarias daturas esse occasiones: ad interpretandum & ad calumniandum. Expectabo fame impetum: quem facile paucorum dierum sermonibus potero depellere. Verū uelim hos sermones non fictos esse: ut esse solent: & nos aliquando inter nos in utramque partem de tota ista societate, & de ratione belli Turcici, quæ optima sit ratio eius conficiendi, inter nos differere. qui etiamsi triduum requirant: tamen cogitandum est hunc Annibalem non uno prælio superari posse. Hæc ego paucis: sed Dasypodius noster, pro commentario est: qui has reddidit. Vale.

A ij

IOAN. STVRMII

EPISTOLA: DE SOCIETATE CHRIS-
tianorum, & pecunia militari ad Ludoicum
Comitem VVitgensteinium.



ODEM PROPE TEMPORE
Ludoice Comes, & tua mihi Epistola
reddita est, data decimo octavo Ca-
lend. Ianuarias: & Oratio allata de
Epirotica victoria: Venetijs à Raza-
rio habita. Ergo eadem penè hora: & tuæ literæ me
resiciebant: plenæ prudentiæ atque humanitatis: &
recreabat me literatissimi hominis: latina puraq; o-
ratio. Eam tibi Venetijs diuulgatam: & in nostra ur-
be meo suasu rursus à Librario exaratam mitto: ut
inter apophoreta aliorum: hoc quoq; meum xenium:
quatuor nummorum, ut est apud Martialem, habeas.

Quod conquereris: non adesse in communi cala-
mitate depellenda, & in tali & tam necessaria causa
eos quos adesse decebat: id etiam metuo: ne in hoc Ve-
netorum periculo, eueniat: quod ab illo populo prin-
cipium quidem sumet: sed in nobis certè desinet, nisi
occurramus.

Est profectò præclara & gloriosa dignaq; trium-
pho victoria: inuisa, & non audita nostra Patrumq;
memoria: & tanta clade, tot talibusq; detrimentis
immanissimi hostis comparata: ut etiam si quid me-
tuat,

EPISTOLA.

tuat, non sentiat: tamen quod doleat, sane sentiat. atque utinam ut Aetiacum praelium: quo Antonius & Cleopatra eodem infreto superati sunt: finem fecit Ciuilibus belli: sic etiam haec clades finem ostendere posset earum calamitatum: quas reliqui populi Christiani nominis: à crudelissimo & superbissimo Tyranno metuunt: nisi crudelitas illius maioribus uiribus reprimatur. Sed extimesco mediocriter: cum cogito, & quam nos parum prouidemus: & quas iste hostis iras habeat: quos apparatus bellorum instruat: quos exercitus meditetur: quot qualesque crudelitates moliat, ut ulciscatur, ut maculam hac clade inustam immanitate armorum, aut eodem si possit mari eluat, aut si non possit in hoc tempore: propter iacturam factam: tamen terra deleat: quae prope nusquam nostra culpa clausa est.

Socij belli huius Maximilianum Imperatorem ad hanc societatem, excitant: Veneti etiam ad Electorem Palatinum & reliquos, ut audio, Principes Imperij scribunt: ut opem ferant: uestrum est: qui in nobilitate non infimum locum tenetis: uestris adesse consilijs atque industria: nos uero qui ex humili loco uos aspiciamus: nihil aliud possumus: quam optare ut omnibus opibus atque uiribus tandem repugnandum esse omnes Christiani orbis Principes cogitent. Sed optare possum propter sollicitudinem: consilium dare non possum propter inopiam: & si quid consilij

IOAN. STVR. EPISTOLA

esset: tamen id metus potius exprimit: quam ingenium inueniat. Video enim quaedam, sed ut magis magna sint optatis: quam ut argumentis pondus habeant. Et tamen in eam sententiam descendo: ut inter amicos non uerear dicere: Et resistendum esse huic communi et perpetuo hosti: Et ipsum superari posse.

Nam tametsi uires colligat: magnas copias Et terra Et mari paret: Et si quando maiores eius, in primis pater eius, unquam ostendit: quantum possit: hoc hunc magis elaboraturum uerisimile sit, quo patre uult non solum potentior, uerum etiam foelicior uideri: tamen incredibile est, quanto cum metu hic conatus sit coniunctus: Et in huiusmodi tyrano quantum dolorem uulnus acceptum concitet: non solum ad audaciam Et temeritatem: sed etiam ad metum, Et ad fugam: si hunc impetum armorum primo quoque tempore possemus reprimere.

Et Deus in ipso conflictu classium: conuersione uentorum declarauit: utrius partis uelit esse uictoriam: Et qui mari Et in classe adfuit: eundem etiam terra, Et in acie adesse posse: atque etiam uelle confidimus: cuius causa hoc bello agitur, IESVM Filium Dei, Conseruatorem humani generis. Qui in Epiro Et ad Echinadas uictoriam dare potuit, idem in Dalmatia Et Panonia salutem poterit perpetuam, Et sempiternam gloriam concedere.

Vides quid optem Ludouice Comes: animaduertis

unum

AD LUDOUICVM VVITG.

unum mihi in optatis esse: ut Imperij principes, Cæsaris auspicijs socia arma contra hunc hostem conferrant. Quid ais inquis: an non uides quid contra dicatur: Primum cur Venetis suppetias, qui huc usque spectatores fuerunt aliarum calamitatum: aliquando etiam authores: Deinde eos ne tu iuuandos putas: à quibus non minus periculi est: quam à Turcico furore: si hoc bellum possent cōficere: Postremò, unde tanta pecunia: quantum hoc bellum requirit: præsertim in hac difficultate annonæ: & post tantos sumptus atque impensas factas: superiore proximo Siggettano detrimento: Fuerūt quidem spectatores Veneti: & otio atq; pace annos multos frui ipsis datum est. At quid alij faciunt qui pace fruuntur quam ut spectatores sint castrensium furorum. Quod à se bellum sæpe deriuarunt: idē alij multi Reges & Cæsares fecerunt. & nobis optabile esset: posse à nobis Sophum Persarum Regem aduersus Turcas concitari: & hunc pro nobis bellū gerere. Hoc enim semper maximis uiris in magistratu propositum fuit, à se & suis arma auertere. Cur uerò potētia Pontificiorū nobis metuenda sit, parta uictoria, nō uideo. Facere officium debemus qui Christiani sumus: etiam si singulis percundum sit. Cur non Christianus faceret: quod optimus quisque faceret: ut improbum, ut crudelem ut tyrannū, ut eum ipsum qui sibi suisq; metuendus sit: sanet, si posset: In Dei potestate consilia hominū

IOAN. STURMII EPIST.

posita sunt: is Deus, Deus inquam exercituum: Dominus inquam IESVS dixit: Diligite inimicos vestros: bene meremini de ijs qui oderunt uos: qui istud iubet nos facere: is etiam potest defendere nos: si hoc nomine sit adeundum periculum. Deinde si pax inter Imperij Principes constituta est: & depositum religionis dissidium Cæsarum auctoritatibus: cur idem fieri in hac societate non possit?

Quod impensas metuimus: quod sumptus deprecamur: quod pecuniam excusamus: neq; istud uideo quicquam habere ponderis. Bello Euangelico quod Carolus Quintus, maximus Princeps, & summus Imperator gessit: pecuniæ difficultatem homines excusabant. at quanta post inuenta est: opinor enim Ludouice Comes, hasce uoces & hoc siue telum, siue detrimentum, in multorum adhuc infixum esse memoria. Ego uerò in huiusmodi quæstionibus deliberandum esse puto: imò in hac ipsa causa considerandum esse arbitror. primùm quale iam tempus sit, & quanta oportunitas: occupandi fauces & loca munita per hanc hyemem totius Vngariæ: dum in hybernis Turcæ latent: & non æque atq; nostri milites frigorum sunt patientes. Deinde quanto minore exercitu hæc loca contra aduentantem æstate hostem queant defendi: quam si negligatur in hoc tempore occupatio. Aut si opus sit exercitu: aut si omnibus uiribus, opibus, copijs repugnandum sit: an non sit ratio pecuniæ

AD LVDOICVM VVITG.

cuniae conficiendae. Equidem paucas leges opto obtineri posse atque promulgari: quarum auctoritate puto, necessariam pecuniam ducibus nostris non defuturam. quarum una est, de aëratio & quæstura Imperij: altera de beneficijs demortuorum: tertia de sortibus: quarta Lex epularis: quinta de clientelis Imperij: sexta de nouis colonijs. His inquam sex legibus fore puto: ut nullo tempore deficere nos possit pecunia: ut annos non paucos exercitus in castris esse possit, & progressus facere: idque nullius uiui mortalis detrimento: saluis fundis Ecclesiasticis: nulla huius ordinis iniuria: nulla ullius ordinis querela: nullo tributo populari: consentientium omnium uoluntatibus. Quas inquis tu nobis hic Leges nominas: ubi illæ scriptæ, ubi latæ, ubi fixæ? Nusquam inquam: sed nullus labor est: & Leges hæc conscribere: & illis auctoritatem adiungere: & rem conficere: sine qua nullum bellum unquam potuit consistere. Verum de his coram cum placebit, aut per literas, si erit otium: & si requiris. Ad Rasarium redeo, & ad Orationem eius: & ad gloriam eorum, qui non solum uictores superstites sunt: sed etiam eorum qui uicti: sese pro patria & religione deuouerunt. Vnum certe uellem adhuc uiuere: & fructum diutissime uirtutis suæ accipere Barbaricum: qui tam prudens fuit: ut uideret necessarium esse pugnam committere: tam sapiens ut animaduerteteret hostem uinci posse: tam bonus ut Ioanne

AD LUDOICVM VITG.

Ausriaco non ueritus sit supplex fieri: & hunc ip-
sum fortissimum classis ducem & quasi proregem:
animæq; magnæ, ut Horatius ait, prodigum: si ne-
cessarium sit: hunc ipsum inquam, siue ducem, siue
proregem: opto ut multis lustris hac fruatur gloria:
cuius sapientia tanta fuit in deliberando: ut uiderit
necessariū: tanta animi altitudo in periculo: ut uitā
contempserit: tanta alacritas, ut in ipsis undis atq;
procellis fortissime pugnarit. Omnium & eorum
qui occubuerunt, & qui salui euaserunt: salutem uo-
lo, gloriā uolo: atq; usq; adeo istos complector: ut etiā
uelim Venetorum magnas illas nauium moles: qui-
bus acies hostiles effractæ sunt: sensum habere huius
præclari facinoris: dignas me Christus quæ perpe-
tuas in Armamentario instauratores atq; custodes
habeant. Vale mi Ludoice Comes. Salue atq;
uale. Argentorati septimo Idus

Ianuarij 1572.

IOAN.

IO. BAPTISTAE

Rasarij,

DE VICTORIA CHRIS-

tianorum ad Echinadas Oratio, ad Principem,

& Senatum: habita Venetijs, in Templo

Diui Marci, 14. Calend. Nouemb.

M. D. LXXI.



QVOD A DEO OPTIMO
Maximo quotidie precabamur, Sere-
nissime Princeps, Illustrissimi Legati,
& Patres amplissimi, ut postquam
exarsit hoc exitiosum, crudeleq; bel-
lum, quod immanissimus Turcarum tyrannus con-
tra Rempub. intulit, ille periurij ac uiolati foederis
poenas daret: id summo Dei beneficio sumus his die-
bus cum maximo totius Christiani nominis gaudio
cumulatissime consequuti. quod quidem animos ho-
minum eo maiore letitia compleuit, quo minus erat
hoc tempore tale quicquam expectatum. Quare si
unquam ullum fuit tempus, in quo Deo Opt. Max.
gratie fuerint agenda, hoc profecto esse existiman-
dum est, in quo cum multa diuinitus contigerunt,
tum uel maxime, quod hoc uno praelio confecto no-
stra libertas, quae in periculum uocari uidebatur, est
plane constituta: quod XL. ueteranorū hostium mila-
lia

IO. BAPTISTAE RASARII

lia caesa, captaq; dicuntur: quod uiginti millia Christianorum, quæ annis superioribus barbari captiua fecerunt, sunt in libertatem uindicata. deniq; quod hostibus est data cupiditas, de summa rei nauali pugna decernendi: ut uos uictoriam tantam adipisceremini, quantam nunquam adhuc Christiana Respub. ab importunissimo hoste reportauit. Cùm enim Turcarum seuisissimus tyrannus, qui cum nulla societas foedere ullo confirmari potest, nouo regno inflatus, & tam amplæ fortunæ insolens, à suis purpuratis, dominandi cupidissimis, assidue instigaretur, & irritaretur, ut ictum paucis ante diebus cum Repub. foedus frangeret: id ille nulla ratione aut diuini, aut humani iuris habita, sine cunctatione facere non dubitauit. Quamobrem Pius V. Pontifex Max. uir sanctissimus, & uel hoc uno nomine de Repub. Christiana optimè meritus, in hoc studium sedulo incubuit, ut Philippum, Regem Catholicum, & potentissimū, ac pietatis Christianæ studiosissimum cum Repub. foedere iungeret: ac se ipse, suasq; opes eodem foedere deuinciret: ut communi consensu, iunctisq; uiribus incitatos teterrimi hostis impetus retardaretis: nefariosq; conatus comprimeretis. quod non minus patria caritate, quam auctoritate, qua proximè ad Deū accedit, ipsum esse consecutū perspiciamus. Itaq; cùm bellum tam graue, tamq; periculosum uobis à potentissimo tyranno inferri uideretis, in quo non de dignitate,

ORATIO.

gnitate, aut aliqua prouincia, sed de uita, & toto Im-
 perio: neq; ad uictoriam usq; sed ad cædem pugnan-
 dum erat: primo quoq; tempore de Imperatoribus
 ad tam necessarium, atroxq; bellum deligendis, &
 tantis rebus præficiendis, erat accuratissimè statuen-
 dum. nam & maximas classes maximis hostium clas-
 sibus, & summis illorum, peritissimisq; ducibus ma-
 ximos uestros, prudentissimosq; duces opponi oport-
 ere perspiciebatis. Sed non fuit difficile in tam illu-
 stribus, & ad laudem natis hominibus tres reperire,
 qui tanti belli molem sustinerent. Vnum enim ferè
 omnes designabant, atque in illum unum intuebant-
 tur, qui inter omnes eminebat. Is est Ioannes Au-
 strius, Cesaris Caroli V. Aug. summi omnium Impe-
 ratoris filius, & Philippi, Catholici, ac maximi Re-
 gis frater, iuuenis tanta uirtute, ut facile appareret,
 hunc cæteris omnibus esse anteferendum. Nam paulò
 ante in tumultu Bœtico suam fœlicitatem, auctorida-
 tem, rei q; militaris scientiam omnibus mirificè pro-
 bârât: cum suo quasi aduentu innumerabilem Mau-
 rorum exercitum profligasset: ducemq; illorum ad
 desperationem perduxisset: ut omnes motus immor-
 tali cum laude pacarit: & illius regni populos Phi-
 lippi regis dicto audientes facile reddiderit. Is igitur
 iustissimis de causis est Hispaniensis classis Impera-
 tor declaratus, ea auctoritatem, ut quod communi con-
 silio ab ipsis Imperatoribus decretum, cõstitutumq;
 sit,

IO. BAPTISTAE RASARII

fit, ipse exequatur, atq; conficiat: & ad ipsum Imperij summa respiciat. E Romanis uerò proceribus quos appetentes gloriae, atq; auidos laudis semper fuisse cognouimus, Pontifex Max. è Columnia familia, rebus omnibus præcellentissima, delegit M. Antonium, principem optimum, & de Christiano nomine optime meritum, quem suæ classi præfecit. Vobis autem, cum in hac luce hominum multi suppetere rent duces præstantissimi, & singulari fortitudine, eximiaq; prudentia, tamen cunctis suffragijs Sebastianum Venerium, rerum maritimarum peritissimum, uirum fortissimum, & bello, ac pace clarissimum, imperatorem uestræ classis declarastis. Itaq; cum omnes foederati prompto in Christianam religionem animo maximas ædificauissetis, ornauissetisq; classes, neq; propter longinquitatem, interualaq; locorum unum in locum statim conuenire uestri Imperatores potuissent: effectum est, ut Turcæ & terra mariq; præpotentes, & omnes despiciere, ac floccificare uiderentur. Nam ut primum classem instructam eduxerunt, quod suis inceptis fortuna ualde fauisset: se quoq; eandem uiam posse insistere arbitrabantur. Ita superato Hellesponto, lecta ora Mysiæ, Ioniæ, & Cariæ, recto itinere Rhodum, deinde in Cretam profecti sunt: atq; ibi è nauibus egressi, cum non mediocre detrimentum accepissent, reliquas Insulas prædandas, uastandasq; sibi proposuerant. In
terea

terea uerò pontificia, uestraq; classis Imperatores,
 ut se cum regia classe coniungerent, in Siciliam pro-
 fecti erant: ac Turcis liber aditus ad uestras insulas,
 uestrosq; portus patebat. Cumq; illorum classis tre-
 centarum esset nauium, in quibus ducentæ triginta
 triremes, sexaginta biremes, ac ceteræ lintres, ac ce-
 loces erant: toto mari predabundi uolitabant. Itaq;
 Cythera, Zacyntho, Cephaleniaq; Insulis euastatis,
 & Corcyrae suburbijs incensis, in Rizonicum usque
 sinum peruenerunt: ac nonnulla Epiri, Illyriciq; ca-
 stella, uon satis munita, quæ metu sibi consulere ne-
 sciebant, in deditiõnem acceperunt. Sed cum Turca-
 rum dux uestram nancisci classem non potuisset, no-
 strosq; de pugna nauali cogitantes, atq; id iam in ani-
 mo habere constitutum audiuisset: in Græciam re-
 uersus, in Corinthiacum sinum inuectus est, ut mili-
 tibus ex Achaia, & Peloponneso, præter numerum
 legionum, accitis, ad Christianam classem paratissi-
 mus reuertetur. Quocirca collecta ibi, quam ma-
 ximam potuit, iuuentute, & prætorianis omnibus,
 cæterisq; egregijs militibus euocatis, & in classem
 impositis, & uoluntarijs etiam illuc ex multis locis
 confluentibus, de summa rei sibi decernendum esse
 constituerat. Interea uerò Imperatores uestri Messa-
 nae de bello gerendo consilia conferebant. nam Au-
 strius Princeps excellentissimus, tantæ spei plenus de
 pugna differebat, ut ex eius oratione, oculis, fronte,
 uultu

IO. BAPTISTAE RASARII

multo deniq; certissima, letissimaq; uictoria porten-
deretur. Nec minus alacriter de re bene gerenda lo-
quebatur M. Antonius Columnius, qui usq; ab initio
huius crudelissimi belli omni opera, omniq; studio in
hanc curam incubuit, ut Christianæ Reipub. iniurias
ulcisceretur. Omnia præterea, quæ ad uictoriã adi-
piscendam pertinerent, afferebat Sebastianus Vene-
rius, senex prudentissimus. qui ut optimum ciuem
deceat, patriam in oculis gerebat: imminens ei pericu-
lum cernebat: & eidem opem ferre omnino cupie-
bat. Quid dicam de Augustino Barbadico, quem uos
freti summa eius prudentia, singulariq; animi ma-
gnitudine, uestræ classis præfectum esse cum Impe-
ratorio Imperio iusseratis? Cùm enim nihil esset eo
propter eximia bona & animi & corporis, amabi-
lius: tantopere patriam ipse diligebat, ut res suas om-
nes contemneret, modo Reipub. dignitatẽ, salutemq;
patria tueretur. is enim neq; cunctandum, neq; pro-
crastinandũ esse multis rationibus differebat. Aduen-
nerant etiã ex Creta duo classis legati cū LX. trire-
mibus Marcus Quirinus, & Antonius Canalis, dua-
ces impigri, & quos mirum in modum hostes formi-
dabant: qui cum omnia hostium consilia in itinere
explorassent, ita certè de uictoria loquebantur, ut
eam prope habere in manibus iudicarentur. idem cæ-
teri omnes classis legati, idem omnes trierarchi, idem
alij pleriq; illustres, & præstantes uiri confirma-
bant.

ORATIO.

bant. Cùm igitur uestri Imperatores omnino decre-
uissent, nauali prælio cum Turcis dimicare, hoc su-
scepto, propositoq; consilio, ut ueros Christianos
decet, coeleste auxilium esse implorandum, & à nu-
mine diuino opem petendam censuerunt. Itaq; ante
profectionem in publico sacrificio, quod summa reli-
gione, incredibiliq; ceremonia pro salute Reipub.
Christiane fiebat, à Deo Opt. Max. pacem, ac ueniã
petierunt: deinde suas noxias sacerdotibus confessi
sunt: deniq; erratis expiatis, sacrum Christi corpus
sumpserunt. atq; id à toto exercitu, uno eodemq; tem-
pore pie faciundum curauerunt. hisq; rebus rite per-
actis, tanquam diuino præeunte lumine, simul iuncti
omnes, atq; concordés Corcyram secundo uento pe-
tierunt. tum Cephaleniam præteruecti, ad Oxias,
Echinadasq; peruenerunt. Stabat tum forte in portu
Naupacti Turcarum classis, & aliquem de Christia-
na classe nuncium expectabat: siquidẽ eius dux mul-
tos iam præmiserat speculatores, ut nostros uenien-
tes, & imparatos aggredieretur. Cùm igitur ei de
classis aduentu esset allatum, tanta spe castra mouit,
ut non sibi ad prælium, sed ad præmium: non ad com-
munem belli Martem, sed ad exploratam uictoriam
ueniendum esse arbitraretur. Iam enim opinione om-
nia ceperat, totamq; Christianam classem aut depres-
serat, aut captiuam in triumpho ducebat. neq; pluris

B

IO. BAPTISTAE RASARII

ille amens, & uecors præstantissimos Imperatore
uestros, militesq; fortissimos faciebat, quam si inane
propugnatorum naues esset inuasurus. Ille cuncta-
tionem nostrorum, timorem: ille consilia, temerita-
tem nominabat. Mouit igitur Naupacto, & uelis,
uentisq; ferētibus ad nobilitandas sua clade Echina-
das, quæ pari ferē spatio à Naupacto, & Patris di-
stant, se ludibundus conferebat: ubi nostri constite-
rant, ut Ioannem Cardonam, Siculae classis ductorē,
omni laude cumulatam, quem cum octo triremibus
ad exquirenda Turcarum consilia iam præmiserant,
expectarent, & certiore itinere ad classem illorum
inuadendam pergerent. Cùm ecce uno tempore &
Cardona redierat, & hostes in conspectu fuere, ut ad
componēda armamenta, & expediendum remigem,
ac militem ad imminens certamen, nisi ante parata
fuissent omnia, uix satis esset temporis. Et tum forte
sub idem tempus uis uenti omnis cecidit: ut hoc præ-
sidio hostes nimium superioribus rebus elati, infla-
tiq; priuarentur. O diuinam prouidentiam. Quis
hoc non miretur? Quis hoc diuino factum esse numi-
ne non fateatur? Quod etiam eo clarius, atq; aper-
tius intelligi potest, quo minus uentis secundis, &
coelo sudo sex iam diebus usa erat nostra classis: ut o-
mnia illis secunda, nostris aduersa esse uiderentur: ac
tum mutata rerum omnium ratione, nostris uicto-
rie

ORATIO.

via spes affulserit. qui etiam quantum humano pro-
 uideri consilio poterat, ita parati ibant, ut non pos-
 sent nisi uictores euadere. quod ut melius appareat,
 classium ordinem paucis exponam. . . Prouehabatur
 Christiana classis ita instructa, ut dextro in cornu
 Ioan. Andreas Auria, magni nominis dux, cū LIIII.
 rostratis nauibus cuncta gubernaret. Sinistrū, quod
 primū hostibus obijciebatur, regebat cum LIII.
 rostratis Augustinus Barbadicus. Mediam aciem, in
 qua erat robur, & flos exercitus, tres prætoriae na-
 ues tutabantur. medium locum tenebat Princeps Au-
 strius, à dextris Columnius, à sinistris Venerius cu-
 rabat. Erant hæc LXII. rostratae rebus omnibus in-
 structissimæ. Erat in eodem comitatu Lignius, uir
 summa nobilitate, & bellica uirtute præstans, quem
 cum suis triremibus ad Christianam religionem de-
 fendendam, & ut nobis gratū faceret, miserat sum-
 ma animi alacritate, propensaq; uoluntate Emanuel
 Philibertus, Sabaudie dux illustrissimus. Aderant
 etiam equitum Melitensium triremes, quibus ordinis
 magister, singulari pietate præditus, & omnibus re-
 bus ornatus, cum Imperio præesse iusserat Petrum
 Iustinianum, patricium uestrum, & Reipub. & re-
 ligionis tuendæ paratissimum: qui in bello superio-
 re, quod Solimanus cum iisdem equitibus gessit, plu-
 rima, & maxima dederat eximie prudentiæ, mirifi-

IO. BAPTISTAE RASARII

cæq; fortitudinis documenta. Austrium comitabatur
 Aloysius Rechezenius, primus ipsius Legatus, uir
 summa auctoritate, maximo rerum usu, & animi ma-
 gnitudine singulari. Cum iisdē erat Franciscus Dio-
 dus, maiorum, firmitiorumq; triremium uestrarum
 dux peritissimus, & senator egregie in patriam ani-
 matus. In subsidijs erant rostratæ duæ de quadragin-
 ta, quarum ductor erat Alvarus Baccianus, qui ob e-
 gregiam uirtutem Neapolitanæ classis erat præse-
 ctus. Ante omnia erant, tanquam munitissima ca-
 stella, firmissimaq; propugnacula, sex triremes ma-
 iores ita collocatæ, ut duæ dextrum, duæ sinistrum
 cornu, duæ aciem hostium tormentis disijcerent: ut
 Diodus, dux intrepidus, hostilis classis impetum, Bar-
 barorumq; furorem exciperet. Hostium uerò classis
 eodem ferè ordine instructa nauigabat: nam & me-
 dia acies nostræ obuiam ibat, & cornua cornibus op-
 posita agebantur: nisi quod in dextro illorum cornu
 erant triremes LV. in sinistro ferè XC. & totidem
 in media acie, ut ea esset, quam nostra, multo nume-
 rosior, ceteræ illorum naues agmen claudebant. Iam
 Imperatores ad pugnam suos milites hortabantur:
 cum Austrius Princeps in lintriculum descendens, to-
 tam ilico classem circumiuit, tam læto uultu, tantaq;
 animi firmitudine cunctos excitans, ut uicisse iam
 crederetur. Cum igitur sub ictu teli essent, & undiq;
 Turcæ

ORATIO.

Turcæ instarent, maiores triremes, quæ tanquam uallum ante aciem stabant, missis tormentis hostium classem magno cum damno uerberarunt, & horribilem stragem ediderunt. Sed illi, quamuis disiectam multis locis classem, perturbatosq; ordines uidissent: tamen furore quodam maiores nostras præteruecti, non deseruerunt sese: itaq; mox prætoricæ omnes ita conflixere, ut non iam missilibus, aut tormentis, sed gladijs prope collato pede præliarentur. nam & proæ inter se iunctæ hærebant, & naues ita in arcto erant stipatæ, uix ut telum ullum in mare uanum intercideret. Imperatoribus tam atroci prælio decertantibus, iam totis classibus simul ab omni parte pugna conferta erat. At in sinistro cornu, cui Barbadius præerat, uario euentu, summisq; uiribus certabatur, cum animi magnitudo, patriæ caritas, odiû in Turcas stimulabat. sed oculus sagitta ictus impediebat, ne iam suo munere fungeretur. Quo quidem tempore, ut sæpe alias, Antonij Canalis, legati, eximia uirtus, admirabilisq; fortitudo enituit, qui sic manum conserebat, & ut hostes trucidaret, & coriû triremes perforaret, atq; submergeret. Vestri autem imperatores & summorum ducum, & strenuorum militum personas, & partes egregiè sustinebant: ac nihil omnino intentatum relinquebant, quo citius uictoria potirentur. Nam Austrius Princeps, iuue-

IO. BAPTISTAE RASARII

nis clarissimus, & manu promptissimus, hostium
cruore magnam partem conspersus uisebatur. Vene-
rius, licet sextum & septuagesimum ætatis annum
agat, tamē innato animi robore, præter cætera, cum
scuto, & gladio irruentes magna uir Turcas fortissi-
mè repellebat: & mox acceptum uulnus, sed tam diu
dissimulatum, quam diu hostes essent profligati, ita
ultus est, ut prætoriam sibi infestam ceperit, atq; de-
presserit. Nec uero minus acriter Columnius pu-
gnabat, & omnia magni ducis, & impigri mili-
tis munera obibat: & iam triremem aduersariam
male multauerat. Hoc loco quanta esset utriusque
exercitus uirtus cognosci potuit. nam licet Turcæ
prætoriam, in qua erat insigne nocturnum trium lu-
minum, captam uiderent, caputq; imperatoris sui ha-
sta suffixum conspicerent, non tamen aut locum, aut
pugnam deserebant: sed uelut calamitates suas uindi-
caturi, obstinato animo pugnant. Nostri magna
contentione, pertinaciterq; irruerant, ac summis ui-
ribus illos petentes trucidabant. nec destitere, donec
acies illorum fluctuare incepit. quo sane tempore nõ
erat opus monitore, aut impulsore: quisq; sibi erat
auctor, & dux ad uictoriam: præsertim cum nefarius
ille, astutusq; prædo Caracosius iam interfectus es-
set, & Syrochus item pirata insignis, uir acerrimus,
quem hostes propter uiriutis opinionem maximi fa-
ciebant,

ORATIO.

eiebant, à Ioanne Contareno, trierarcho fortissimo,
 cum sua prætoria captus, suum latus nudauisset, adi-
 tumq; nostris præbuiisset: ac prælium etiam iniuis-
 sent triremes, quæ in subsidijs erant locatæ, & fortis-
 simè depugnaret Aluarus Baccianus: & Hispani, e-
 quitesq; Melitenses, quibus est quoddam quasi natu-
 rale bellum cum Turcis, certatim impressionē face-
 rent. Sed uidete amplissimi auditores, quam incerti
 sint exitus pugnarum, uariaq; fortuna. Cum enim Iu-
 stinianus cum sua prætoria in aliquot hostium trire-
 mes impetum fecisset, tanta ui, tantaq; fortitudine in
 illas inuectus est, ut duas statim ceperit: ac res inibi
 esset, ut tertiam quoq; captiuam faceret. cum ecce
 sex hostiles transuerso latere ita in ipsum irruerunt,
 ut omnes ferè eius milites, in quibus erant quinquæ-
 ginta equites, interfecerint, nec tamè ipse dux, quam-
 uis duabus iam confixus sagittis esset, animum de-
 spondit: sed suis ad puppim conglobatis, egregiè im-
 petum, furoremq; Turcarum sustinuit. Sed tamen
 parum absuit, quin his, qui paulo ante uictor in ho-
 stes insultabat, eodem fere momento in illorum pote-
 statem ueniret. At nostris opem ferentibus, & omni
 ex parte Turcas urgentibus, factum est, ut cum illi
 multas triremes depressas, prætorias captas, impera-
 tores suos cæsos uidissent, sublatis turpiter doloni-
 nibus, de fuga cogitarent: ac multi se in mare abijce-

IO. BAPTISTAE RAVISII

rent, & sociorum nauibus adnantes, incerti prae metu quid aut peterent, aut uitarent, foede perirēt. Nec profectò superfuisset aut fugae, aut pugnae quisquam, nisi aliqui paruis nauigijs clam euasissent. unus autem solus, qui Iuliam Caesaream, quam nunc Algeriam uocant, pro rege gubernat, quiq; sinistrū latus regebat, quasi cladis nuncius, elapsus est. Nunquam Serenis. P. alias tantis animis magnae concurrerunt classes, nec in maioris discrimen rei pugnarunt. nam & de Christiani nominis dignitate, & existimatione pōtificia, & regia, & de salute Reip. agebatur. Turcae adnitebantur, ut non modo maris possessione uos pellerent, spemq; omnem uobis adimerent, uestras prouincias, insulasq; tutandi, & praesidia usquam mittendi: sed ut uos, & deinceps, hac illis quasi fenestra patefacta, omne Christianum nomen in seruitutem redigerent: & quos uellent, quacunq; de causa collibuisse, trucidarent. Vos, ut retenta maris possessione, Deiq; cultu seruato, patriam, liberos, coniuges, populosq; uestros à caede, ab incendio, à seruitute uindicaretis: ostendertisq; Turcas non iure, sed scelere: non uirtute, sed insidijs: non lacestos, sed rupto ob insitam barbariem foedere, quicquid fecissent, esse conatos: deniq; id, quod semper fuit in more positū, institutoq; uestro, ut Christianam religionem cum Pontifice Maximo,

& re=

ORATIO.

& rege Catholico tueremini. Hæc enim præcipue
 res Pium V. Pont. Max. ut parentem optimum decet,
 & Philippum, regem potentissimum, & ueræ pieta-
 tis obseruantissimum, impulit, ut Rempub. quam de-
 cus Italiae, ornamentum totius Europæ, domicilium
 uirtutum omnium, & incorruptæ sedem libertatis
 esse norunt, defendendam, & à Turcarum iniurijs
 uindicandam iudicarent: armaq; sua uobiscum con-
 iungere, accommodatissimū, honorificentissimumq;
 censerent. Itaq; eo die illa in pugna non erat quis-
 quam omnium, qui non in eius dici casu Christianæ
 Reip. euentum consistere existimaret. quocirca om-
 nes sic strenuam operam nauauerunt, ut innumera-
 bilis ille Turcarum exercitus, totus fusus, & ad in-
 ternicionem cæsus sit, tota fere classe in pugna amis-
 sa. Nam & CLXI. triremes, & multæ biremes, al-
 teriusq; generis nauigia in Christianorum potesta-
 tem uenerunt: & cæteras triremes aut incensas, aut
 depressas esse accepimus. & quod summam afferre
 admirationem potest, ex quadraginta triremibus, in
 quibus essent nocturna luminum insignia, uix una,
 aut altera euasit: cùm interim nulla nauis ex uestra
 classe capta: duæ solæ fractæ, aliquot uulneratæ me-
 morentur. quod quidem nulla alia, nisi diuina ope fa-
 ctum uidemus, ut quo maiore spe, firmioreq; fiducia,
 & detestabiliore scelere hoc uobis bellū Turcæ mo-

IO. BAPTISTAE RASARII

uissent, eo grauiore supplicio, acriore dolore, & se-
uioꝛe cruciatu uobis pœnas darent. Fuis autem un-
diq; cœsisq; hostibus uidere erat, alios sequi: alios fu-
gere: alios occidi: alios capi: alios submergi: tum na-
ues deprimi, tum perforari, tum incendi, tum abdu-
ci: postremò omnia, qua conspectus esset, constrata
telis, armis, cadaueribus, & totum mare infectum
sanguine: ut iam rubrum Turcarum cæde, sanie, cru-
oreq; factum uideretur. O p̄sens summi rectoris,
& domini numen. O uictoriam omnium uocibus, li-
teris, monimentisq; p̄dicandam. ò diem inter festos
referendum, & quotannis maxima letitia celebra-
ndum. Te autem Aloysi princeps, quis non beatum,
quis non ex omni parte felicem putet, quo Rempub.
gubernante, tam mirifica, tamq; p̄clara uictoria
sit comparata: hæc enim una res, p̄ter reliquas
tuas eximias, singularesq; uirtutes, illustrabit tuum
principatum: & faciet, ut cum perpetua tui nomi-
nis gloria in ore omnium, sermoneq; uersetur. Sed
minimè mirum Reipub. id accidit. nouit enim id esse
tuæ gentis proprium, prudentia, consilio, opibus, a-
nimi magnitudine iuuare, atq; ornare patriam. Id
summa cum laude fecit iam Thomas Mocenigus, pa-
ter tuus, omni dignitate ornatissimus, Marcius pro-
curator, & Venetæ classis imperator: qui ut pri-
mum Adriani mare egressus est, hostes in metu esse,
&

ORATIO.

Et à uestro Imperio abstinere omnino coëgit: Et à
 Strophadibus, ac Malea magnam uim prædonum,
 qui Ionium infestum habebāt, statim expulit, Et ex-
 turbauit: ac tam magno animo filij interitum tulit
 clari uiri, Et egregij trierarchi, ut illam maxime for-
 tunatam mortem appellaret, quod nature debita,
 pro patria esset potissimum reddita. Idem aliquot
 ante annos præstitit cum immortalis sui nominis glo-
 ria Petrus Mocenigus, proauitui frater, princeps op-
 timus: qui in bello aduersus Mahometem Turcarū
 tyrannum Cariam, Ioniam, Aeoliam, Lyciam, Cili-
 ciamq; uictor peruasit: tropheaq; ubiq; erexit: tum
 Ciliciam à Turcis recuperatam Cassambeio, Pyra-
 mettoq; regibus restituit. deniq; Cyprium regnum,
 quod illius Insulæ principes, Iacobo rege mortuo, ad
 Siliciæ regem dolo quodam deferre coniuarant, suo
 aduentu conseruauit: Et sumpto de coniuaratis suppli-
 cio, Catharina reginae uiduæ, quæ ex clarissima gen-
 te Cornelia, patricia uestra erat, Et puero infanti
 reddidit: ut hoc patriæ in primis, tum splendori gene-
 ris Corneliorum tribuendum iudicaret. Idem deniq;
 fecerunt alij principes, classis imperatores, præfecti,
 legati, trierarchi, Senatores, Marcijq; procuratores,
 qui perpetuo quodam cursu in Repub. floruerunt.
 Quin etiam sperant omnes boni, ac sapientes uiri,
 multis partibus plura, quàm nuper hostium fraude
 sublata

IO. BAPTISTAE RASARII

Sublata sint, te auspice, & Rempub. gubernante, prope-
pediem esse ad Imperium accessura. Quare Sereniss.
P. & Patres amplissimi, recte, atque ordine facitis,
quod ex animo de tam fausto, foeliciq; nuncio letami-
ni: & tantam rem perfectam esse gaudetis: & quod
cum primum hoc est à uobis auditum, omnia templa
patefacienda, supplicationesq; ad omnia puluinaria
decreuistis: & in hanc ædem frequentes conuenistis,
& quam primum Deo honores habendos, gratiasq;
quammaximas agendas statuistis: quod nos ex furo-
re, immanitateq; teterrimi hostis exemerit: quod ma-
ximam omnium, quæ unquam à Christianis partæ
sint, uictoriam adepti sitis: quod tot millia captiuo-
rum sint Christianæ Reipub. restituta: quod tot ex
Turcis prætorianis, tot rerum maritimarum periti
homines, tot egregij duces, tot fortes trierarchi, na-
uarchiq;: tot nefarij prædones, tot gubernatores, ac
magistri nauium, proretæq; trucidati sint. denique
quod metu, & periculo Italia omnis, atq; adeo tota
Christiana Respub. liberata esse uideatur. Quan-
quam autem audio, hanc uictoriam morte fortissimo-
rum uirorum constitisse, quod aliquot horas pugna-
tum est utrinq; acriter: tamen quis non agnoscat,
Deum Opt. Max. hanc uobis palmam dedisse, ut ille
inhumanus, foedisragusq; tyrannus, apud quem ni-
hil ueri: nihil sancti, nullusq; Dei metus est, secum a-
nimo

ORATIO.

nimo expendat, quem respectum ad Senatū, ad iusiu-
 randū, & ad religionē non habuerit, & quantos spi-
 ritus, quantamq; arrogantiam sibi sumpsisset, qui &
 inuictissimam & felicissimam classē suā appellare
 semper auderet, & ut omnes intelligant, quam nō sit
 humanis opibus, prosperisq; inijs, ac fortunæ mu-
 neribus confidendum. Conferete nunc hanc tam læ-
 tam, tamq; admirabilem uictoriam cum decantatis il-
 lis Atheniensium, Romanorumq; uictorijs, ut duce
 Miltiade Persas ad Marathonem uictos: aut duce The-
 mistocle Xersis uires ad Salamina fractas, qui mare
 ponte iunxerat, Atho montem perfoderat, & Asiam
 uniuersam in Græciam se effusurum cogitarat: aut
 Lutatij Catuli ad Aegates insulam ductu Carthagi-
 nensium classē uictam: aut illam Antiochi, Syriæ
 regis, Annibale Imperatore, ad Myonessum à Ro-
 manis superatam. Profectò illas à suis scriptoribus
 mirabiliter dicendo auctas, hanc ex omni parte ue-
 ram comperietis: illas copias ex imbellibus ferè, im-
 peritisq; hominibus, has ex fortissimis, exercitatis-
 simisq; constitisse: illas arte, & dolo, has uirtute &
 aperte superauisse cognoscetis. Sed ego animaduer-
 ti Sereniss. Princ. ita esse nobis natura comparatum,
 uix ut unquam ullam puram uoluptatem percipia-
 mus: quod cum alijs plerisq; in rebus, tum uel maxi-
 me in bello accidit. Videmus enim in hac pugna aliz
 quot

IO. BAPTISTAE RASARII

quot claros uiros, strenuos duces, egregios centuriones, fortesq; milites esse desideratos: quod Mars strenuum quemq; sibi decerpit, fortissimumq; pigneratur. Augustinum enim Barbadicum, summa nobilitate hominem, egregia animi magnitudine, & singulari in patriam caritate, sublatum esse, cum incredibili omnium dolore accepimus. qui cum omnes honorum gradus, quos per aetatem ei licuit, in urbe adeptus esset, in illisq; gerendis summam & laudem, & gloriam esset consequutus: Forumq; Iulium prudenter, sancteq; gubernasset: & magna constantia, mirabiliq; eloquentia fines Imperij, cum de ijs regundis esset controuersia, tutatus esset: & per honorificas legationes obiisset. & incredibili sapientia, & integritate praefecturam Patauinam gessisset, nihilq; aliud ei ad laudem immortalẽ deesset, nisi ut decurso aliquot annorum spatio, memoriam principatus optimorum principum Marci, & Augustini, gentiliũ suorum, ipse reuocaret: ecce mors eum sustulit. quam nullo unquam tempore nec gloriosius, nec meliore de causa hanc lucis usuram relinquere potuisset, quam patriæ dignitatem tuendo, & tam honorifice sanguinem effundendo. Huius fati comites, gloriaeq; participes fuerunt aliquot egregij, nobilissimiq; trierarchi, ut Benedictus Superantius: Catarinus Maripetrus: Vincentius Quirinus: Hieronymus

Conta=

ORATIO.

Contareus: Marinus Contareus. in quibus quanta
 iactura facta sit, uix uerbis explicari posset. Quid di-
 cam de his præstantissimis uiris, qui ipsi quoque mor-
 tem contemnendo immortales sunt facti: Ioanne Lau-
 retano: Andrea Barbadico: Francisco Bono: M. An-
 tonio Lando: Antonio Pascaligo: huius quoq; lau-
 dis auidi fuerunt, gloriaq; cupidi Io. Baptista Bene-
 dictus, Cyprius: Iacobus Metius, Chersonesius: An-
 tonius Eudæmonicus, Cydon: Iacobus Trissinus, Vi-
 centinus: Hieronymus Bysantius, Ascruiensis: & An-
 dreas Calergus, Rithymnæus: quorum omnium nun-
 quam esse intermorituram memoriam existimare
 debetis. nam dum Christianum, Venetumq; nomen
 extabit, quod sempiternum fore polliceri possumus:
 dum literæ manebūt: dum ullus uirtuti locus uspiam
 relinquetur: nunquam de illis gratissimus hominum
 sermo conticescet. Nam uitam eorum, qui patriam
 defendendo, Christianamq; religionem uindicando
 obierunt, non modo alit posteritas, sed etiam, ut à
 sapientissimis uiris accepimus, ipsa æternitas semper
 intuetur. Vigent etiam hodie in ore, atq; animis om-
 nium Harmodius & Aristogiton: uigent Horatij: ui-
 gent Decij: uigēt alij pleriq; quod de uita exire pro-
 patria gloriosum iudicarint. Istos autem nunquam
 satis laudatos milites uestros, qui suo sanguine tantā
 Christiano nomini gloriam, tantamq; uictoriam pe-
 pererunt,

IO. BAPTISTAE RASARII

pererunt, & iam à Deo premium uirtutum suarum esse consecutos confidimus: & à uobis, & ab uniuersa Christiana Repub. eis debitos honores hodie persolui uidemus. Quod etiam speciosius his contingit, quàm Romanis, aut Atheniensibus: propterea quod illi suis legibus coacti, eos qui pro patria pugnando mortui essent, ornabant laudibus: uos quicquid facitis, id ultro, & sponte, illorum uirtuti tribuitis, & gratissimorum ciuium munere fungimini. Ac merito quidem. digni enim sunt hi optimi uiri, quibus atque etiam singulares à Senatu honores exquirantur. quos ego in praesentia ex altissima caeli specula uideri iam uideor, gratos animos uestros intueri, proindeq; letari: quod intelligant, ex uerborum exornatione perennem laudem ad eos, qui praecclaras res gesserunt, solere apud auditores peruenire. ipsi enim indicarunt, se huius gloriae, quam uitae, studiosiores extitisse, cum hostilis poenae, quàm huius lucis cupidiores, pro patria occiderunt. Cumq; nossent, hanc uitam peregrinationem esse, corpus, quod esse caducum sciebant, publicè impenderunt, ut priuatim laudem, quae nulla mortis fata pertimescit, cõpararent. Quo circa parentes uti debent hoc solatio, quod cùm scirent, se natos genuisse, non immortales, sed quos bonos, atq; illustres fore optabant, nunc utrunq; sint omnino consecuti, cum tanta Reipub. praesidia genuerint:

ORATIO.

nuerint: liberi, quod eis domestica uirtutis exempla
 suppeditabunt: coniuges, quod ijs priuatae sint ui-
 ris, quos laudent potius, quam lugeant: omnes deni-
 que quod intelligant, eos, qui mortem oppetiuerunt,
 pro mortali conditione uitae, immortalitatem esse
 consequutos: cum hoc maximè credendū sit, patriae,
 Christianaeq; pietatis propugnatores, hinc migran-
 tes, ad sedem coelestium mentium, ex quibus animos
 delibatos habemus, euolasse: ubi aeo sempiterno,
 perpetuaq; felicitate perfruantur. Inuitus praetereo
 nomina aliorum praestantium uirorum, qui in acie
 caesi sunt, ut si quid ego possem, ea ab interitu uindi-
 carem: sed cum imperatores uestri nondum singilla-
 tim rem, ut gesta est, perscripserint, uosq; mihi man-
 daueritis, ut hanc orationē fere ex tempore habeam:
 cogor nunc ea silentio transire. Vos autem Sereniss.
 P. Illustriss. Legati, & Patres amplissimi, qui huc fre-
 quentes conuenistis, ut fortissimorū ciuium, & Chri-
 stianae religionis amantissimorum hominum funus
 uestro conspectu cohonestetis: uehementer commen-
 do: & gratam istam accepti eximij beneficij memo-
 riam uestram sempiternis esse decorandam laudibus
 existimo. Caeterum nobilissimi uiri, & ornatissimi
 adolescentes, cum animo iam cernatis, fortissimis ui-
 ris, qui pro patria occubuerunt, certum esse in caelo,
 ac definitum locū, ubi aetatem cum mentibus beatis.

C

IO. BAPTISTAE RASARII

mis apud Deum agant: quo nihil excogitari potest
beatius: summosq; honores ab optimo, & sapientissi-
mo principe, & amplissimo ordine haberi: ut nihil
esse queat magnificentius: consulite posteritati &
memoriae nominis uestri: eosq; uobis ad imitandum
proponite: & hanc ad gloriam citato cursu conten-
dite, et existimate, nihil esse laudabilius, nihilq; præ-
stantius, quam de patria bene mereri: quam eius di-
gnitatem, salutemq; ebus omnibus antepone: neq;
quicquam turpius, quam gloriam à maioribus acce-
ptam ad posteros non transfundere: neque uiro no-
bili posse magis ignominiosum quid accidere, quam
in otio obtorpescere: & occasiones, quæ Reipub. di-
gnitatem attingunt, subterfugere. Nam si locus exer-
cendæ uirtutis uestræ, domi non daretur, esset is uo-
bis omni studio, omniq; cura peruestigandus: nunc
uero cum domi uestræ tam præclara, tamq; necessa-
ria causa uobis sit oblata, arripite, atque urgete oc-
casionem, atque cum breuis hominibus uia data sit:
memoria uero bene redditæ uitæ sempiterna, hoc in
animo constitutum habete, ita uobis esse uiuendum
ut etiam uos esse morituros sciatis: sed ita deniq; mo-
riendum, ut memoria nominis uestri sit ad omnem æ-
ternitatem temporis duratura. quare pergite patri-
am defendere, alacri animo in aciem prodite, pro pa-
tria opes contemnite, commoda uestra omittite: uitã
deniq;

ORATIO.

denique ipsam fortiter, strenueq; pugnando profun-
dite. Id à uobis patriæ nobilitas, optima educatio, sin-
gularis in Deum pietas, & sacrosancta religio uno,
eodemq; tempore postulat, implorat, exposcit. Vos
autem Illustriss. Legati pro mea in Christum Dei fi-
lium summa pietate, & mirifica in uos obseruantia,
mirum in modum rogo, atque obsecro, ut quando
non iacta uictoriæ fundamenta, sed ipsam in manibus
iam esse cernitis, Cæsarem, Reges, Principesq; ue-
stros incitetis, atque hortemini, ut urgeant hanc pul-
cherrimam occasionem, qua nulla unquam poterit
reperiri præstantior: suasq; uires, atque opes cum
pontificijs, regijs, Venetisq; coniungant: ut commu-
ni consensu, atque consilio Turcæ tandem debellen-
tur, & ipsorum nomen sempiterna obliuione obru-
atur. Cum enim uideatis Turcarum uires non esse
inuictas, immò uerò illorum multitudinem, & diui-
tias uirtuti, concordiaeq; Christianorum longe ces-
sisse, danda opera est, ut quod priscis temporibus usu
uenit, ut uirtute Atheniensium in pugna Maratho-
nia excitati reliqui Græci, omnia pericula subire
pro libertate Græciæ non dubitarint: idem nunc ab
omnibus Christianis pro sua salute, ac dignitate sit
omnino faciendum. & quod Græci post illam me-
morabilem pugnam ostenderunt, Persas terrestri pu-
gna uictos, nauali quoque prælio posse superari: id

IO. BAPTISTAE RASARII

à Christianis conandum sit, ut quando nauali certamine tantam estis consecuti uictoriam, quantam uix ausi essetis optare: illos terrestri quoque praelio uinci posse demonstratis. Quod planè sperandum est, si communi concordia, iunctisq; animis cuncta gerentur: & barbari hostis uires ita distrahentur, ut ille magnis exercitibus, terra, mariq; laceffitus, et disiunctis, diuersisq; in locis petitus tam ancipiti contentione, & tanta mole belli, tantaq; cōfusione obruetur, ut rebus suis consulere non possit. quod quidem totum in uestra, optimi legati, & prudentia, & diligentia uidetur esse constitutum. Interim uerò Sereniss. P. & P. A. quanquam id uos omnino perspectum, exploratumq; habetis, estisq; in hac una cogitatione defixi: tamen pro mea in uos pietate, illud Maharbalis de Annibale uobis memorabo, Non satis esse uincere, nisi uictoria quoque uti sciatis: Et dum Turcæ perculsi sunt, & res illorū accisæ, & quamplurimi è prætorianis, alijsq; egregijs militibus, & rerum maritimarum peritis desiderati sunt, antequam se colligant, uiresq; reficiant, bellum ex sententia conficiatis, & ad optatum exitum perducatis. quod ut primo quoque tempore uobis cumulatè contingat, te Deus optime maxime, cuius nutu cuncta gubernantur: teq; diue Marce, qui in tua tutela hanc optimam Rempub. esse perpetuò declarasti, quiq;

cam

ORATIO.

*eam semper ab hostium impetu, furoreque seruasti,
omnes pie, et ex animo uehementissime
precamur.*


F I N I S.



ORATIO

conspectus de hostium imperio, fueritq; senatus
censuram. Cetero non obsequium
procurat.

T I B I U S




A 55 233

AB: 155 233

x 2204431





Farbkarte #13

B.I.G.

IO. BAPTISTAE
 Rafarij,
 DE VICTORIA CHRIS-
 tianorum ad Echinadas, Oratio,
 ITEM,
 Ioan. Sturmij eadem de
 RE: AD PHILIPPVM HANOICVM,
 & Ludoicum VVitgensteinium Comites:
 duæ Epistolæ.



ARGENTORATI,
 Impensis Iosiaæ Rihelij.
 M. D. LXXII.

